Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1838)

Lilley 1538

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Decembris.

M. DANIELE TAUVRY, Doctore Medico, Præside.

An ovali foramine, in pulmonis venam aditus?

FOETUM membranis involutum & aquis immersum pullum Gallinaceum diceres in ovo delitescentem, ex utriusque umbilico vasorum prodit funiculus, ad involventes membranas usque exporrectus, vel in illas, ut in pullo avium distribuitur, vel in unicam placentam explicatur, ut in mulierum aliorumque *placentiferorum* animalium fœtibus, qui totidem placentis alligantur, vel denique in diversas partes divisus glandulosis appellit chorii protuberantiis, quæ in ruminantibus totidem glandulosis uteri cavitatibus excipiuntur, ita ut vasorum matris & fœtus nexus cernatur oculis; ex umbilicalibus vasis urachus à funiculo sejunctus, perforata membrana quæ *allantoides* appellatur, in ruminantibus allantoidem sacci instar infra chorium producit, in equa vero & placentiferis animalibus in membranam urinariam, ex omni parte fœtum cingentem, supra membranam *allantoidem* urinam deponit, aves tandem quarum urina in intestina recipitur non alio indigent lotii coacervandi causa receptaculo. Ecce ovi sive intra sive extra uterum incubati varias differentias. Umbilicalis funiculus ex vena unica aut duplici, arteriis duabus & uracho constat: arteriæ ab aortæ extremitate vel hypogastricis ad urachi latera per umbilicalem funiculum in glandulosas protuberantias vel in placentam sanguinem deferunt, ex quibus cotyledonibus vel placenta, arteriarum succus novis qualitatibus præditus, laticibusque, maternis aëre non destitutis permixtus, per umbilicalem venam in portæ sinum reducitur, unde per canalem venosum in cavam progreditur. In avibus non eundem servat tramitem umbilicalis vena sed relicta hepatis concava parte, supra convexam ad cavam immediate pergit, in itinere magnum à sinu portæ canalem recipit, indicio sane manifesto per hanc anastomosim, præter umbilicalium vasorum sanguinem, portæ magnam partem devehi. Cavæ pars superior & inferior dextræ cordis auriculæ annectuntur, in hac auricula & pulmonis venæ parte, quæ auriculæ sinistræ proxime connectitur, insculptum videtur ovale foramen: hîc movetur controversia, an cavæ liquoris pars sinistram auriculam subeat, an vero ex pulmone rediens sanguis auriculam dextram ingrediatur. Sanguis qui dextrum cordis ventriculum permeavit, in pulmonis arteriam fluit, quæ in tres vel plures scinditur ramos, quorum crassior in aortam descendentem terminatur: Alii in pulmones distribuuntur, hîc lis non minor fuit an ab aorta in pulmonis arteriam, an vero à pulmonis arteria in aortam, sanguinis cursus ferebatur, sed soli Primerosio lis placuit: medici anatomistæ ex pulmonis arteria, in aortam patentem viam agnoverunt.

SI quis Physices aut Mechanices principiis leviter imbutus, cultrum accipiat anatomicum, perpetuò anceps erit aut temerarius Judex. In partium usu detegendo, in laticis viarum investigatione, in potentiis motricibus computandis; omnia corporis organa, ad hydrolicas vel staticas machinas sunt revocanda. Si alicujus liquoris cursum noscere velis, in variis animalibus, ligamentis, flatu & liquidorum injectione, naturæ finem confidera. In ovalis foraminis examine, si hanc methodum se quaris, falli non poteris, modo cordis auricularum structuram, foraminis figuram, vasorum cordis varias inter se rationes, oculis quoque subjicias, tunc evanescent controversiæ: Anatomicumque bellum, quo naturæ investigatores mirum in modum conflictantur, patente veritate finietur. Dispar est utriusque auriculæ structura, in dextra enim quamplurimæ occurrunt carneæ fibræ, in sinistra vix conspici possunt. Nec æquales sunt cavæ & pulmonum venæ in fœtu latices, cava enim multo majorem liquoris continet quantitatem. In foramine nullum observabis obicem, quippe ex una vel altera vena, insufflatus aër, subito utraque tumescit auricula. In humano fœtu truncus aortæ, arteriæ pulmonaris trunco ut plurimum minor est, in vaccinis & ovillis fœtibus multo major, quod maxime oriri videtur, ex eo quod in fœtibus in quibus parvum est foramen ovale, iis minor est aortæ truncus, solito vero major pulmonis arteria illiusque ramus qui in aortam desinit: si vero patens & amplum videtur ovale foramen, major conspicitur aorta, minor pulmonis arteria & arteriarum communis ductus. Si tandem naturæ operantis finem intuearis, has vasorum communiones in circuitus sanguinis commodum fabricatas facile deprehendes; cum enim pulmonum in adultis virtus elastica, qua omnem sanguinis molem per arteriam fluentem in venam refundunt ab aëre vasa comprimente & vesiculas instante pendeat, impossibilis erat in fœtu totius sanguinis per pulmones transitus.

SI vis motrix in auriculis, liquoris copia in venis & arteriis, sanguinis circuitus conservatio, partium opressarum & languidarum tutela spectentur; ex auricula cordis dextra in sinistram sanguinem permeare, clare constabit, cum enim fibris validioribus polleat auricula dextra vi majore laticem impellit. Vasa quæ majorem sanguinis copiam continent, facilius eam largiuntur iis in quibus minor est quantitas, hinc sanguinem è cava in pulmonum venam migrare quis non concludet. Si pro diverso animalium genere dispar sit cordis arteriarum ratio, nostri systematis veritas inde magis illucescit, si enim major sit aortæ truncus pulmonari arteria, majorem sanguinis copiam fluere per aortam necesse est, quod contingere non potest, nisi per foramen ovale major suppediteetur à cavâ quantitas, quam arteriarum communi ductu in aortam inferiorem impellitur. Si vero pulmonis arteria, aortæ trunco sit crassior, hoc fit, quoniam ovale foramen communionis ductu, magnitudine superatur; sic tunc temporis major sanguinis copia in aortam inferiorem infunditur, quam aortæ trunco, ovali foramine communicatur, si tandem in pulmonum tutelam conditum sit ovalè foramen, nonne sanguine ex cava in sinistram auriculam fluente sanguinis redundantis portione liberantur pulmones, qui majori onere obruerentur si à sinistra in dextram transiret latex.

ARS & natura iisdem motuum Legibus sua moliuntur opera. Artem naturam imitari, nemo non fatetur. Corpus nostrum machinam hydrostaticam & pneumaticam diceres, cujus ossa vectium & fulcrorum, musculi funiculorum, cor Syringæ, vasa canalium vices gerunt, aër in pulmones thoracis elevatione pulsus & depressione foras protrusus, ut in folle laterum disjunctione cavitatem ingreditur & approximatione foras erumpit. cristalinus humor solares radios ad perpendiculum magis accedentes & consequenter magis convergentes reddit, eodem prorsus modo ac vitra convexa, uno verbo ut machinæ motus ignorantur nisi prius vis motrix, machinæ structura, à fulcimento ponderis distantia, gravitatis centrum, directionis linea & alia quam plurima noscantur; sic in animalium corpore, si alicujus partis usum, aut alicujus liquidi cursum investigare volueris, hæc omnia sunt animo perpendenda, omnium enim animalium fabrica, Dei omnipotentis Sapientiam ostendit, nihil in ipsis frustra conditum est, pondere numero & mensura eorum extruxit corpus, secundum diversas operationes, quas illorum animæ concessit, soli tamen animæ humanæ intelligendi data fuit potestas, qua obtusiores evadunt sensationes, majori igitur impetu, animalia plerumque feruntur in objecta, sensibusque vividioribus pollent, diversa igitur animalium corpora scrutari debemus, si alicujus partis usum ad examen revocamus; natura enim varie ludens, eundem semper consequitur finem, sic ruminantium ventriculorum multitudo, humani simplicitate ventriculi compensatur, his viis ducti anatomistæ, amnios succum per os & nares in ventriculum devolvi nunquam negabunt, non enim obstat apertus œsophagus liquoris impulsui, depressis enim in matris respiratione abdominis musculis, undequaque premitur latex & consequenter narium & oris patentes ductus perreptat, ut in ventriculum devolvatur.

AURICULÆ dextræ crassiores fibræ, cavæ sanguinis copia, in ovillis & vaccinis fœtibus, aortæ ac pulmonaris arteriæ diametrorum ratio, naturæ finis in exonerando pulmone, foramen ovale in sinistram cordis auriculam aditum præbere satis superque probant: foramen porro ovale in pulmonum commodum fabricatum esse, ex eo constat, quod aëre libere in pulmonum vesiculas irrumpente, respirationis ope, evanescat & claudatur. His ergo invictissimis rationibus adducti contra ingeniosum, Domini Mery Anatomistæ peritissimi, systema concludimus, ex auricula dextra in sinistram aditum esse patentem, non tamen cum Harveo & Louverto hac via maximam sanguinis partem deduci asserimus: è contra sanguinis copia, quæ hac via aortæ communicatur, varia est pro varietate animalium, nec tamen absolute vasorum diametris ad stateræ leges reduci potest. Sunt enim in fœtus pulmonibus obices, aortaque è corde exiens coronarias in ipsam cordis substantiam emittit.

Ergo ovali foramine, in pulmonis venam aditus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Armandus Josephus Collot.
M. Philippus Carron.
M. Ambrosius Nicolaus Chemineau.
M. Joannes Gelly.
M. Joannes-Baptistæ Gabriel Fressant.
M. Michaël Sauvalle.
M. Petrus Pourret, unici Fratris Regis Med. ord.
M. Antonius de Caën.
M. Dionysius Dodart.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Parisiis MICHAEL LUDOVICUS RENEAUME DE LA GARANNE, Blesensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1698.